

Foreword

The idea for studying some Latin Patristic writers arose from a discussion in one of the Latin lessons. It is hoped that this will be the first of many.

Acknowledgements

I would like to thank my students for all the encouragement that they have given to me and especially to Bishop Andrew Shergold of the Philippine Independent Catholic Church without whom this series of booklets and our various lessons and conferences would never have come about.

Table of Contents

Foreword.....	i
Acknowledgements	i
Table of Contents	ii
1. Introduction.....	1
1.1 Sources for the text De Spectaculis.....	1
1.2 Notes about the Latin text	1
1.3 Bibliography.....	1
2. Latin Text	2
2.1 Caput I.....	2
2.2 Caput II.....	2
2.3 Caput III	3
2.4 Caput IV	3
2.5 Caput V	3
2.6 Caput VI.....	4
2.7 Caput VII.....	4
2.8 Caput VIII	4
2.9 Caput IX	5
2.10 Caput X.....	5
2.11 Caput XI	6
2.12 Caput XII	6
2.13 Caput XIII.....	7
2.14 Caput XIV.....	7
2.15 Caput XV	7
2.16 Caput XVI.....	7
2.17 Caput XVII	8
2.18 Caput XVIII.....	8
2.19 Caput XIX.....	8
2.20 Caput XX.....	9
2.21 Caput XXI.....	9
2.22 Caput XXII	9
2.23 Caput XXIII.....	9
2.24 Caput XXIV.....	10
2.25 Caput XXV	10
2.26 Caput XXVI.....	10
2.27 Caput XXVII	11
2.28 Caput XXVIII	11
2.29 Caput XXIX.....	11
2.30 Caput XXX	11
3. Notes for the Latin Text	13
3.1 Lexical notes	13
3.1.1 <i>Caput I</i>	13
3.1.2 <i>Caput II</i>	13
3.1.3 <i>Caput III</i>	13
3.1.4 <i>Caput IV</i>	14
3.2 Grammatical Notes.....	14
3.3 Migne Comments	14
4. Translation.....	15
4.1 Caput I.....	15
4.2 Caput II.....	15

4.3	Caput III	15
4.4	Caput IV	15
5.	Commentary.....	16
5.1	Caput I.....	16
5.2	Caput II.....	16
5.3	Caput III	16
5.4	Caput IV	16
5.5	Caput V	16
6.	Critical Notes.....	17
6.1	Caput I.....	17
6.2	Caput II.....	17
6.3	Caput III	17
6.4	Caput IV	17
6.5	Caput V	17
7.	Vocabulary.....	18
	Document Control.....	22

1. Introduction

1.1 Sources for the text of *De Spectaculis*

.

1.2 Notes about the Latin text

The Latin text has been taken from Migne Patrologiae Latinae Vol I. Note the following:

- In accordance with the latest Oxford Classical Texts, ‘j’ has been changed to ‘i’ and ‘v’ to ‘u’.
- Sentences (also in accordance with the latest Oxford Classical Texts), do not begin with a capital letter; only the beginning of a *paragraph* is capitalised.
- Migne places numbers within the text of each chapter. These numbers seem to restart at 1 after 99, but for the purposes of this book I have continued the numbering. The numbers refer to notes which I have included in section 3.3.

1.3 Bibliography

2. Latin Text

2.1 Caput I

Qui status fidei, quae ratio ueritatis, quod praescriptum disciplinae, inter caetera saecularium errorum, etiam spectaculorum uoluptates adimat, Dei serui cognoscite, qui cum maxime ad Deum acceditis: recognoscite, qui iam accessisse uos testificati et confessi estis, ne aut ignorando aut dissimulando quis peccet. tanta est enim uis uoluptatum, ut et ignorantiam protelet in occasionem, et conscientiam corrumpat in dissimulationem. ad utrumque, adhuc forsitan alicui opiniones ethnicorum blandiuntur, quae ¹ in ista causa aduersus nos ita argumentari consueuerunt: nihil obstrepere religioni in animo et consciencia ² tanta solatia extrinsecus oculorum uel aurium: nec uero Deum offend oblectatione hominis, qua, saluo erga Deum metu et honore, suo in tempore et suo in loco frui, scelus non sit. atquin hoc cum maxime paramus demonstrare, quemadmodum isthaec ³ non competant uerae religioni et uero obsequio erga Deum uerum. sunt qui existiment ⁴ Christianos ⁵ expeditum morti genus ad hanc obstinationem abdicatione uoluptatum erudiri, quo facilius uitam contemnant, amputatis quasi retinaculis eius, ne desiderent, quam iam superuacua ⁶ sibi fecerint ⁷: ut hoc consilio potius et humano prospectu, non diuino praescripto definitum existimetur. pigebat scilicet etiam perseuerantes in tantis uoluptatibus propter Deum mori. quanquam etsi ita esset, tam ⁸ apto consilio, tantae obstinatio disciplina: debebat obsequium.

2.2 Caput II

Iam uero nemo est, qui non hoc quoque praetendat (Gen. i), omnia a Deo instituta, et homini attributa (sicut praedicamus), et utique bona omnia, ut boni auctoris ⁹: inter haec deputari uniuersa ista, ex quibus spectacula instruuntur, circum ¹⁰ uerbi gratia, et leonem, et uires corporis, et uocis suauitates. igitur neque alienum uideri posse, neque inimicum Dei ¹¹, quod de conditione constet ipsius: neque cultoribus Dei uitandum ¹², quod Dei non sit inimicum, quia nec alienum. plane et ipsae exstrukiones locorum, quod saxa, quod caementa, quod marmora, quod columnae, Dei res sunt, qui ea ad instrumentum terrae dedit: sed et ipsi actus sub coelo Dei transiguntur. quam sapiens argumentatrix sibi uidetur ignorantia humana, praesertim cum aliquid eiusmodi de gaudiis et de fructibus saeculi metuit amittere! plures denique inuenias, quos magis periculum uoluptatis, quam uitae, auocet ab hac secta. nam mortem etiam stultus ut debitam non extimescit, uoluptatem etiam sapiens ¹³ ut tantam non contemnit, cum alia non sit et stulto et sapienti uitae gratia, nisi uoluptas. nemo negat, quia nemo ignorat quod nitro natura suggerit, Deum esse uniuersitatis conditorem, eamque uniuersitatem tam bonam, quam homini mancipatam. sed quia non penitus Deum norunt, nisi naturali iure, nec etiam familiari, de longinquo, non de proximo; necesse est ignorent qualiter administrari aut iubeat aut prohibeat quae instituit ¹⁴, simul quis sit aemulus ¹⁵ ex diuerso, adulterandis usibus diuinae conditionis, quia neque uoluntatem, neque aduersarium noueris eius, quem minus noueris. non ergo hoc solum respiciendum est, quo ¹⁶ omnia sint instituta, sed a quo conuersa. ita enim apparebit cuius ¹⁷ ui sint instituta, si appareat cuius non sint ¹⁸. multum interest inter corruptelam et integritatem, quia multum est inter institutorem et interpolatorem. caeterum omnes species malorum, quae etiam ethnici ¹⁹ ut indubitata, et prohibent et defendunt, ex operibus Dei constant: uis ²⁰ homicidium ferro, ueneno, magicis deuinctionibus perfici ²¹. tam ferrum Dei res est, quam herbae, quam angeli: numquid tamen in hominis necem auctor ista prouidit? atquin omnem homicidii speciem uno et principali praecepto interemit: **non occides** (Exod. xx). proinde aurum, aes, argentum, ebur, lignum, et quaecumque fabricandis idolis materia capiat, quis in saeculo posuit, nisi saeculi auctor Deus? numquid tamen ut haec aduersus ipsum adorentur? atquin summa offensio ²² penes illum idololatria est. quid non Dei est, quod Deum offendit? sed cum offendit, Dei esse desiit; et cum desiit, offendit. ipse homo omnium flagitiorum actor ²³, non tantum opus Dei, uerum etiam imago est, et tamen et corpore et spiritu desciiuit ²⁴ a suo institutore. neque enim oculos ad concupiscentias ²⁵ sumpsimus, neque ²⁶ linguam ad maliloquium, et aures ad exceptaculum maliloquii, et gulam ad gulae crimen, et uentrem ad gulae satietatem ²⁷, et genitalia ad excessus impudicitiae, et manus ad uim, et gressus uagam uitam, aut spiritus ideo insitus corpori, ut insidiarum, et fraudum, et iniquitatum cogitatorium fieret, non opinor. nam si omnem malignitatem, et si tantam ²⁸ malitiam excogitatam Deus exactor innocentiae odit, indubitate quaecumque condidit, non in exitum operum constat condidisse quae damnat, licet eadem

opera per ea quae condidit administrentur, quando haec sit tota ratio damnationis, peruersa administratio conditionis a conditis ²⁹ nos igitur qui, Domino ³⁰ cognito, etiam aemulum eius inspicimus ³¹, qui, institutore comperto, etiam interpolatorem una deprehendimus, neque mirari, neque dubitare oportet, cum ipsum hominem, opus et imaginem Dei, totius uniuersitatis possessorem, illa ³² uis inter-polatoris et aemulatoris angeli ab initio de integritate deiecerit, uniuersam ³³ substantiam eius pariter cum ipso ³⁴ in peruersitatem demutatam ³⁵ aduersus institutorem, ut quam doluerat homini concessam, non sibi, in ea ipsa et hominem reum Deo faceret, et suam dominationem collocaret.

2.3 Caput III

Hac conscientia instructi ³⁶ aduersus opinionem ethnicorum, conuertamur magis ad nostrorum detractatus ³⁷. Quorumdam enim fides aut simplicior, aut scrupulosior, ad hanc abdicationem spectaculorum de Scripturis auctoritatem exposcit, et se in incertum constituit, quod non significanter neque nominatim denuntietur seruis Dei abstinencia eiusmodi. plane nusquam inuenimus, quemadmodum aperte positum est: **Non occides, non idolum coles, non adulterium, non fraudes admittes**, ita exserte definitum, “Non in Circum ibis ³⁸ non in theatrum; agonem, munus non spectabis”. ³⁹ Sed inuenimus ad hanc quoque speciem pertinere illam primam uocem Daud, **Felix, inquit qui non abiit in concilium impiorum, et in uia peccatorum non stetit, et in ⁴⁰ cathedra pestium non sedit**. nam etsi iustum illum uidetur praedi casse, quod in concilio et in concessu ⁴¹ Iudaeorum de Deo denegando ⁴² consultantium, non communicauit; late tamen semper Scriptura diuina diuiditur, ubicunque secundum praesentis rei sensum etiam disciplina munitur, uthic ⁴³ quoque non sit aliena uox a spectaculorum interdictione. si enim pauculos tunc Iudaeos impiorum concilium uocauit, quanta magis tantum conuentum ethnici populi! ni pii ethnici ⁴⁴, minus peccatores, minus hostes Christi, quam tunc Iudaei, quo ⁴⁵ et caetera congruunt. nam apud spectacula et in uia statur. uias enim uocant et cardines balteorum per ambitum et discrimina popularium per proclium. cathedra quoque nominatur ipse in anfractu ad consessum situs. itaque e contrario infelix qui in quodcunque consilium impiorum abierit, et in quacunque cathedra pestium sederit. generaliter dictum intelligamus, cum quid etiam specialiter interpretari capit. nam et specialiter quaedam pronuntiata generaliter sapiunt. cum Deus Israelitas admonet disciplinae uel obiurgat, utique ad omnes habet: cum Aegypto et Aethiopiae exitium comminatur, in omnem gentem peccatricem praeiudicat. Sic omnis gens peccatrix uocatur Aegyptus et Aethiopia, a specie ad genus. Quemadmodum etiam de origine spectaculorum concilium uocat impiorum, a genere ad speciem.

2.4 Caput IV

Ne quis argumentari nos putet, ad principalem auctoritatem conuertar ipsius signaculi nostri. cum aquam ingressi Christianam fidem in legis suae uerba profiteamur, renuntiasse nos diabolo et pompae et angelis eius ore nostro contestamur. quid erit summum ⁴⁶ praecipuum, in quo diabolus et pompae et angeli eius censeantur, quam idololatria? ex qua omnis immundus et nequam spiritus, ut ita dixerim, quia nec diutius de hoc. igitur si ex idololatria uniuersam spectaculorum paraturam constare constiterit, indubitate praeiudicatum erit etiam ad spectacula pertinere renuntiationis nostrae testimonium in lauacro, quae diabolo et pompae et angelis eius sint mancipata, scilicet per idololatriam. commemorabimus origines singulorum, quibus ⁴⁷ in cunabulis ⁴⁸ in saeculo adoleuerint: exinde titulos quorumdam, quibus nominibus nuncupentur: exinde apparatus, quibus superstitionibus instruantur: tum ⁴⁹ loca, quibus praesidibus dicentur: tum ⁵⁰ artes, quibus auctoribus deputentur. si quid ex his non ad idolum pertinuerit, id neque ad idololatriam, neque ad nostram eierationem pertinebit.

2.5 Caput V

De originibus quidem ut secretioribus et ignotis penes plures nostrorum altius, nec aliunde inuestigandum fuit, quam de instrumentis ethnicarum ⁵¹ litterarum. exstant auctores multi, qui super ista re commentarios ediderunt. ab his ludorum origo sic traditur: Lydos ex Asia transuenas in Etruria consedis, ut Timaeus refert, duce Tyrrheno, qui fratri suo cesserat regni contentione: igitur in Etruria, inter caeteros ritus superstitionum suarum, spectacula quoque religionis nomine instituunt: inde Romani accersitos artifices mutuuntur, tempus, enuntiationem, ut ludi a Lydis uocantur. sed etsi Varro ludos a ludo, id est a lusu

interpretatur, sicut et Lupercos ludos appellant, quod ludendo discurrant; tamen eum lusum iuuenum et diebus festis, et templis, et religionibus reputat. nihil iam de causa uocabuli, cum ⁵² rei causa idololatria sit. nam et cum promiscue ludi Liberalia uocarentur. honorem Liberi patris manifeste sonabant. libero enim a rusticis primo fiebant ob beneficium quod ei adscribunt pro ⁵³ demonstrata gratia uini. exinde ludi Consualia dicti, qui ⁵⁴ initio Neptunum honorabant. eundem enim et Consum uocabant ⁵⁵. dehinc Equiria ⁵⁶ Marti Romulus dixit : quanquam et Consualia Romulo ⁵⁷ defendunt, quod ea Conso dicauerit deo, ut uolunt, consilii: eius scilicet, quo ⁵⁸ tunc Sabinarum uirginum rapinam militibus suis in matrimonia excogitauit. probum plane consilium, et nunc quoque apud ⁵⁹ ipsos Romanos iustum et licitum, ne dixerim, penes Deum. facit etenim ⁶⁰ ad originis maculam, ne bonum existimes, quod initium a malo accepit, ab impudentia, a uiolentia, ab odio ⁶¹, a fratricida institutore, a filio Martis: et nunc ara Conso illi in Circo defossa est ad primas metas sub terra, cum inscriptione huiusmodi, CONSUS CONSILIO, MARS DUELLO, LABES COMITIO ⁶² POTENTES. Sacrificant apud eam nonis Iuliis sacerdotes publici, XII Kalend. Septembres ⁶³ flamen Quirinalis, et uirgines. dehinc idem Romulus Ioui Feretrio ludos instituit in Tarpeio, quos Tarpeios dictos et Capitolinos Piso tradidit. post hunc Numa Pompilius Marti et Robigini fecit ⁶⁴. Nam et Robiginis ⁶⁵ eam finxerunt. dehinc Tullus Hostilius. dehinc Ancus Martius, et caeteri. qui quotque per ordinem ⁶⁶, et quibus idolis ludos instituerunt, positum est apud Suetonium Tranquillum, uel a quibus Tranquillus accepit. sed haec satis erunt ad originis de idololatria reatum.

2.6 Caput VI

Accedit ad testimonium antiquitatis subsecuta posteritas, formam originis de titulis huius quoque temporis praeferens, per quos signatum est, cui idolo et cui superstitioni utriusque ⁶⁷ generis ludi notarentur, Megalenses ⁶⁸ et Apollinares, item Cereales et Neptunales, et Latiare, et Florales in commune celebrantur: reliqui ludorum, de natalibus et solemnitatibus ⁶⁹ regum et publicis prosperitatibus et municipalibus fastis ⁷⁰ superstitionis ⁷¹ causas originis ⁷² habent. inter quos etiam priuatorum memoriis legatariae editiones parentant, id quoque secundum institutionis antiquitatem. nam et a primordio bifuriam ludi censebantur, sacri et funebres, id est, diis nationum et mortuis. sed de idololatria nihil differt apud nos, sub quo nomine et titulo dum ad eosdem spiritus perueniat, quibus renuntiamus ⁷³, licet mortuis, licet ⁷⁴ diis suis faciant. Proinde mortuis suis ut diis faciant ⁷⁵, una conditio partis utriusque est, una idololatria, una renuntiatio nostra aduersus idololatriam.

2.7 Caput VII

Communis igitur ⁷⁶ origo ludorum utriusque generis, communes et tituli ut de communibus causis, proinde ⁷⁷ apparatus communes habere necesse est de reatu generali ⁷⁸ idololatriae conditricis suae. sed Circensium paulo pompator suggestus, quibus proprie hoc nomen, pompa, praecedit ⁷⁹, quorum sit in semetipsa probans ⁸⁰, de simulacrorum serie, de imaginum agmine, de curribus, de thensis, de armamaxis, de sedibus, de coronis, de exuuiis, quanta praeterea sacra, quarta sacrificia procedant, intercedant, succedant, quot collegia, quot sacerdotia, quot officia moueantur, sciunt homines illius urbis in qua daemoniorum conuentus consedit. ea si minore cura per prouincias pro minoribus uiribus administrantur, tamen omnes ubique Circenses illuc deputandi, unde et petuntur; inde inquinantur, unde sumuntur. nam et riuulus tenuis ex suo fonte, et surculus modicus ex sua fronde, qualitatem originis continet. viderit ambitio siue frugalitas eius quo ⁸¹ Deum offendit: qualiscunque pompa Circi, etsi pauca simulacra circumferat, in uno idololatria.est: et si unam thensam irabat, Iouis tamen plastrum est: quaeuis idololatria sordide instructa, uel modice locuples ⁸² splendida est censu criminis sui.

2.8 Caput VIII

Ut et de locis, secundum propositum exsequar, circus Soli principaliter consecratur: cuius aedes medio spatio, et effigies de fastigio aedis emicat, quod non putauerint ⁸³ sub tecto consecrandum, quem in aperta habent. quod ⁸⁴ spectaculum primum a Circe habent. soli patri suo, ut uolunt ⁸⁵, editum affirmant: ab ea et Circi appellationem argumentantur. plane ⁸⁶ uenefica eis utique negotium gessit hoc, nomine quorum sacerdos erat, daemoniis et angelis scilicet. quot igitur in habitu loci ipsius idololatrias recognoscis! singula

ornamenta Circi, singula templa sunt. oua honori Castorum adseribunt, qui illos ouo editos credendo de cygno Ioue non erubescunt. Delphinos Neptuno uouent, columnas⁸⁷ sessias a sementationibus, messias a messibus, tutelinas a tutelis⁸⁸ fructum sustinent. ante, has tres arae, trinis diis parent, magnis, potentibus, ualentibus. eosdem Samothracas existimant. obelisci enormitas, ut Hermateles affirmat. soli prostituta: scriptura eius unde et census, de Aegypto superstitio est. frigatebat daemomonum concilium sine sua matre magna; ea itaque illic praesidet Euripo. Consus (ut diximus) apud metas sub terra delitescit. murtias quoque idolum fecit⁸⁹. murtiam enim deam amoris uoluit, cui in illa parte «dem uouere. animaduerte, christiane, quot nomina⁹⁰ immunda possederint Circum. aliena est tibi religio, quam tot diaboli spiritus occupauerunt. de locis quidem locus est retractandi ad proueniendam quorundam interrogationem. quid enim, inquis, si alio in tempore Circum adiero, periclitabor de inquinamento? nulla est proscriptio de locis. nam non sola ista conciliabula spectaculorum, sed etiam templa ipsa sine periculo disciplinae adire seruus Dei potest, urgente causa simplici duntaxat, quae non pertineat ad proprium eius loci negotium uel officium. caeterum et plateae, et forum, et balneae, et stabula, et ipsae domus nostro sine idolisomnino non sunt; totum saeculum Satanas et angeli eius repleuerunt. non tamen quod in saeculo sumus, a Deo excidimus, sed si quid de saeculi criminibus attigerimus. proinde si Capitolium, si Serapeum sacrificator et adorator intrauero, a Deo excidam, quemadmodum circum uel theatrum spectator. loca nos non contaminant per se, sed quae in locis fiunt, a quibus et ipsa loca contaminari altercati sumus: de contaminatis contaminamur⁹¹. propterea autem commemoramus, quibus eiusmodi loca dicuntur, ut eorum demonstremus esse, quae in his locis fiunt, quibus loca dicantur.

2.9 Caput IX

Nunc de artificio quo circenses' exhibentur. Res equestris retro simplex de dorso⁹² agebatur, et utique communis usus reus non erat. sed cum ad ludos coactus est, transiit a Dei munere ad daemoniorum officia. itaque Castori et Polluci deputatur haec species, quibus equos a Mercurio distributos Stesichorus docet. sed et Neptunus equestris est, quem Graeci ἵππιον appellant. de iugo uero⁹³ quadrigas soli, bigas lunae sanxerunt. sed⁹⁴ et

Primus Erichthonius currus et quattuor ausus

lungere equos, rapidusque rous insistere uictor.

Erichthonius Mineruae et Vulcani filius, et quidem de caduca in terram libidine, portentum est daemonicum, imo diabolus ipse, non coluber. si uero Trochilus⁹⁵ Arguius auctor est currus, primo⁹⁶ Iunoni, id opus suum dedicauit. si Romae Romulus quadrigam primus ostendit, puto et ipse inter idola conscriptus, si idem est Quirinus. talibus auctoribus quadrigae productae, merito et aurigis coloribus idololatriam uestierunt, et ab initio duo soli fuerunt⁹⁷, albus et russeus: albus hiemi, ob niues candidas; russeus aestati, ob solis ruborem, uoti erant. sed postea tam uoluptate, quam superstitione prouecta, russeum alii Marti, alii album Zephyris consecrauerunt; prasinum uero⁹⁸ terrae matri uel uerno, Venetum casto et mari, uel autumnus. cum autem omnis species idololatriae damnata sit a Deo, utique etiam illa damnatur, quae elementis mundialibus⁹⁹ profanatur.

2.10 Caput X

Transeamus ad scenicas res, quarum et originem communem, et titulos pares secundum ipsam ab initio ludorum appellationem et administrationem coniunctam cum re equestri iam ostendimus. apparatus etiam ex ea parte consortes, quae ad scenam spectat: nam a templis et aris, et illa infelicitate thuris et sanguinis inter tibias et tubas itur, duobus inquinatissimis arbitris, funerum et sacrorum, designatore et haruspice. ita cum de originibus ludorum ad circenses transimus, inde nunc ad scenicos ludos dirigimus, a loci uitio¹⁰⁰. theatrum proprie sacrarium Veneris est. hoc denique modo id genus operis in saeculo euasit. nam saepe censores renascentia¹⁰¹ cum maxime theatra destruebant, moribus consulentes, quorum scilicet periculum ingens de lasciuiis prouidebant, ut iam hinc ethnicis in testimonium cedat sententia ipsorum nobiscum faciens, et nobis in exaggerationem disciplinae etiam humanae praerogatiua. itaque Pompeius Magnus solo theatro suo minor, cuin illam arcem omnium turpitudinum extruxisset, ueritus quandoque memoriae suae censoriam

animaduersionem, Veneris aedem superposuit, et ad dedicationem edicto populum uocans, non theatrum, sed Veneris templum nuncupauit: cui subiecimus, inquit, gradus spectaculosum: ita damnatum et damnandum opus templi titulo praetexit, et disciplinam superstitione delusit. sed Veneri et Libero conuenit. duo ista daemonia conspirata et coniurata inter se sunt, ebrietatis et libidinis. itaque theatrum Veneris, Liberi quoque domus est. nam et alios ludos scenicos Liberalia proprie uocabant, praeterquam Libero deuotos, quod sunt Dionysia penes Graecos, etiam a Libero institutos. et est plane in artibus quoque scenicis Liberi et Veneris patrocinium, quae priuata et propria sunt scenae, de gestu et corporis fluxu. nam molliitiam Veneri et Libero immolabant ¹⁰²: illi per sexum, illi per fluxum ¹⁰³, dissoluti ¹⁰⁴. Quae uero uoce et modis et organis et lyris ¹⁰⁵ transiguntur, Apollines et Musas et Mineruas et Mercurios mancipēs habent. oderis, Christiane, quorum auctores non potes non odire. iam nunc uolumus suggerere de artibus, et de his, quorum ¹⁰⁶ auctores in nominibus exsecramur. Scimus nihil esse nomina mortuorum, sicut nec ¹⁰⁷ ipsa simulacra eorum. sed non ignoramus, qui sub istis nominibus et institutis simulacris operentur et gaudeant, et diuinitatem mentiantur, nequam spiritus scilicet daemones. videmus igitur etiam artes eorum honoribus dicatas esse, qui nomina incolunt auctorum earum ¹⁰⁸, nec ab idololatria uacare, quarum institutores ¹⁰⁹ etiam propterea dii habentur. imo quod ad aries pertinet, altius praescripsisse debemus, daemones ab initio prospicientes sibi inter caetera idololatriae etiam spectaculorum inquinamenta, quibus hominem a Deo auocarent, et suo honori obligarent, eiusmodi quoque artium ingenia inspirasse. neque enim ab aliis praeoccupatum ¹¹⁰ fuisset, quod ad illos peruenturum esset. nec per alios tunc homines edidissent, quam per ipsos, in quorum nominibus et imaginibus et historiis fallaciam consecrationis sibi negotium acturae ¹¹¹ constituerant ¹¹².

2.11 Caput XI

Ut ordo peragatur, ineamus etiam agonium retractatum. origo istis de ludorum propinquitate est. inde et ipsi sacri uel funebres instituti, aut diis nationum aut mortuis fiunt. proinde Tituli ¹¹³: Olympia Ioui, quae sunt Romae Capitolina; item Herculi Nemaea ¹¹⁴, Neptuno Isthmia, caeteri mortuarii ¹¹⁵ agones. quid ergo mirum, si apparatus agonium idololatria conspurcat de coronis profanis, de sacerdotalibus praesidibus, de collegiariis ministris, de ipso postremo boum sanguine? ut de loco suppleam, ac de loco communi pro collegio artium Musicarum et Minerualium, et Apollinarium, etiam Martialium, per duellum, per tubam, stadio circum aemulantur ¹¹⁶, quod utique templum est, et ipsum eius idoli, cuius solemnitates agit. sed et gymnicas artes Castorum ei Herculum et Mercuriorum disciplinae prodiderunt.

2.12 Caput XII

Superest illius insignissimis spectacula ¹¹⁷ acceptissimi cognitio ¹¹⁸. Munus dictum est ab officio, quoniam officium etiam muneris nomen est. officium autem mortuis hoc spectaculo facere se ueteres arbitrabantur, posteaquam illud humaniores atrocitate temperauerunt. nam olim quoniam animas defunctorum humano sanguine propitiari creditum erat; captiuos uel malo ingenio ¹²⁰ seruos mercati in exsequiis immolabant. postea placuit impietatem uoluptate adumbrare. itaque quos parauerunt armis, quibus tunc et qualiter poterant eruditos, tantum ut occidi discerent, mox edicto die Inferiarum apud tumulos erogabant. ita mortem homicidiis consolabantur. haec muneris ¹²¹ origo, sed paulatim prouecti ad tantam gratiam, ad quantam et crudelitatem, quia ferrum uoluptati satis non faciebat ¹²², nisi et feris humana corpora dissiparentur. quod ergo mortuis litabatur, utique parentationi deputabatur. quae species proinde idololatria est, quoniam et idololatria parentationis est species. tam haec quam illa mortuis ministrat. in mortuorum autem idolis daemonia consistunt, ut et titulos consideremus: licet transierit hoc genus editionis ab honoribus mortuorum ad honores uiuentium, quaesturas dico et magistratus, et flamina ¹²³ et sacerdotia: cum tamen nominis dignitas idololatriae crimine teneatur, necesse est quidquid dignitatis nomine administratur, communicet etiam maculas eius, a qua habet causae. idem de apparatibus interpretabimur in ipsorum honorum suggestu deputandis, quod purpurae, quod fasciae, quod uittae, quod coronae, quod denique conciones et edicta, et pultes pridianae sine pompa diaboli, sine inuitatione daemonum non sunt. quid ergo de horrido ¹²⁴ loco perorem, quem nec periuria sustinent ¹²⁵? pluribus enim et asperioribus numinibus amphitheatrum consecratur, quam Capitolium omnium daemonum templum est. tot illic immundi spiritus considunt, quot homines capit. ut et de artibus concludam, Martem et Dianam utriusque ludi praesides nouimus.

2.13 Caput XIII

Satis, opinor, impleuimus ordinem, quot et quibus modis spectacula idololatriam commitant, de apparatus, de locis. de sacrificiis quidem ¹²⁶ certi sumus, nulla ex parte competere nobis ea, qui his idolis renuntiauimus: non quod idolum sitali-quid, ut Apostolus ait, (I Cor, iiii) sed quod quae faciunt, daemoniis faciunt, consistentibus scilicet in consecrationibus idolorum siue mortuorum, siue species (ut putant) deorum. propterea igitur, quoniam utraque idolorum conditionis unius est, dum mortui et dii unum sunt, utraque idololatria abstinemus, nec minus templa, quam monumenta despuimus: neutram aram nouimus (Act. xx, I Cor. x), neutram effigiem adoramus: non sacrificamus, non parentamus, sed neque de sacrificio et parentato edimus, quia non possumus cenam Dei edere, et cenam daemoniorum. si ergo gulam et uentrem ab inquinamentis liberamus, quanto magis augustiora nostra, oculos et aures, ab idolothytis et neorothytis uoluptatibus abstinemus, quae non intestinis transiguntur, sed in ipso spiritu et anima digeruntur: quorum munditia magis ad Deum pertinet, quam intestinorum.

2.14 Caput XIV

Nunc interposito nomine idolatriae quod solum subiectum sufficere debet ad abdicationem spectaculorum, alia iam ratione tractemus ex abundanti: propter eos maxime qui sibi blandiuntur, quod non nominatim abstinentia, ista praescripta, sit, quasi parum etiam de spectaculis ¹²⁷ pronuntietur ¹²⁸, cum concupiscentiae saeculi damnantur. nam sicut pecuniae, uel dignitatis, uel gulae, uel libidinis, uel gloriae; ita et uoluptatis concupiscentia est: species autem uoluptatis etiam spectacula. Opinor generaliter nominatae ¹²⁹ concupiscentiae continent in se et uoluptates aequae generaliter intellectae uoluptates specialiter et in spectacula disseruntur. caeterum retulimus supra de locorum conditione, quod non per semetipsa nos inquineat, sed per ea quae illic geruntur, per quae simul inquinamentum combiberint, tunc et in alteros ¹³⁰ respuunt.

2.15 Caput XV

Viderit ergo, ut diximus ¹³¹, principalis titulus idololatriae ¹³², reliquas ipsarum rerum qualitates contra Dei ¹³³, omnes feramus. Deus praecepit Spiritum sanctum, utpote pro naturae suae bono tenerum et delicatum (Ephes. iu), tranquillitate et quiete et pace tractare, non furore, non bile, non ira, non dolore inquietare. huic quomodo cum spectaculis poterit conuenire? omne enim spectaculum sine concussione spiritus non est. ubi enim uoluptas, ibi et studium, per quod scilicet uoluptas sapit. ubi studium, et aemulatio, per quam studium sapit. porro et ubi aemulatio, ibi et furor et bilis et ira et dolor, et caetera ex his quae cum bis non competunt disciplinae. nam etsi qui modeste et probe spectaculis fruitur, pro dignitatis uel aetatis, uel etiam naturae suae conditione: non tamen immobilis animi est ¹³⁴ sine tacita spiritus passione. nemo ad uoluptatem uenit sine affectu, nemo allectum sine casibus suis patitur. ipsi casus incitamenta sunt affectus. caeterum si cessat affectus, nulla est uoluptas, et est reus iam ille uanitatis eo conueniens, ubi nihil consequitur. Puto autem, etiam uanitas extranea est nobis. quid quod et ipse se iudicat inter eos positus, quorum se similem nolens utique detestatorem confitetur? nobis satis non est, si ipsi nihil tale faciamus, nisi et talia facientibus non conferamur. si furem, inquit (Psal. xlix), uidebas, concurrebas cum eo. utinam ne in saeculo quidem simul cum illis moraremur: sed tamen in saecularibus separamur, qui saeculum Dei est, saecularia autem diaboli.

2.16 Caput XVI

Cum ergo furor ¹³⁵ interdicitur nobis, ab omni spectaculo auferimur, etiam a circo, ubi proprie furor praesidet. aspice populum ad ¹³⁶ spectaculum iam cum furore uenientem, iam tumultuosum, iam ceecum, iam de sponsionibus concitatum. tardus est illi Praetor, semper oculi in urna eius cum sortibus uolutantur. dehinc ad signum anxii pendent, unius dementiae una uox est. cognosce ¹³⁷ dementia de uanitate. misit dicunt, et nuntiant inuicem, quod simul ab omnibus uisum est. teneo testimonium caecitatis; non uident quid sit: mappam missam putant: sed est diaboli ab alto praecipitati ¹³⁸ gula ¹³⁹. ex eo itaque itur in furias et

animos et et discordias, et quidquid non licet sacerdotibus pacis. inde maledicta, conuicia sine iustitia, odii etiam suffragia ¹⁴⁰ sine merito amoris. quid enim consecuturi suum ¹⁴¹ illic agunt, qui sui non sunt? nisi forte hoc solum, per quod sui non sunt: de aliena infelicitate contristantur, de aliena felicitate laetantur. quidquid optant, quidquid abominantur, extraneum ab illis est, ita et amor apud illos otiosus, et odium iniustum. at forsitan sine ¹⁴² causa amare liceat, quam sine causa odisse. Deus certe etiam cum causa prohibet odisse, qui inimicos diligere iubet, Deus etiam cum causa maledicere non sinit, qui maledicentes benedici praecipit (Matth. v, Marc. vii, Rom. xiii). sed circo quid amarius, ubi ne principibus quidem aut ciuibus suis parcent? si quid horum quibus oircus furit, alicubi competit sanctis, etiam in oirco licebit. si uero nusquam, ideo nec in circo.

2.17 Caput XVII

Similiter impudicitiam ¹⁴³ omnem amoliri iubemur. hoc igitur modo etiam a theatro separamur, quod est priuatum consistorium impudicitiae ubi nihil probatur, quam quod alibi non probatur Ita summa gratia eius de spuritia plurimum concinnata est, quam Atellanus gesticulator, quam mimus etiam per mulieres, repraesentat, sexum pudoris exterminans ut facilius domi quam in scena erubescant; quam denique pantominus a pueritia patitur in corpore, ut artifex esse possit. ipsa etiam prostibula publicae libidinis hostiae in scena proferuntur, plus miserae in praesentia feminarum, quibus solis latebant, perque omnis aetatis, omnis dignitatis ora transducuntur: locus, stipes, elogium, etiam quibus opus non est, praedicatur. taceo de reliquis, ea quae in tenebris et in speluncis suis delitescere decebat, no diem contaminarent. erubescat senatus, erubescant ordines omnes. ipsae illae pudoris sui interemprices, de gestibus suis ad lucem et populum expauescentes, semel anno erubescant. quod ei nobis omnis impudicitia exsecranda est, cur liceat audire quae loqui non licet? cum etiam scurrilitatem et omne uanum uerbum iudicatum a Deo sciamus, cur aequae liceat uidere, quae facere flagitium est? Cur quae ore prolata oomunicant hominem, ea per oculos et aures admissa non uideantur hominem communicare: cum spiritui appareant aures et oculi, nec possit mundus praestari, cuius apparitores inquinantur? Habes igitur et theatri interdictionem, de interdictione impudicitiae.

2.18 Caput XVIII

Sin et doctrinam saecularis litteraturae, ut stultitiae apud Deum deputatam, aspernamur, satis praescribitur nobis et de illis speciebus spectaculorum, quae saeculari litteratura lusoriam uel agonisticam scenam ¹⁴⁴ dispungunt. quod si ¹⁴⁵ tragoediae et comoediae scelerum et libidinum actrices ¹⁴⁶, cruentae et lasciuiae, impiae et prodigae: nullius rei aut atrocis, aut uilis, commemoratio melior est: quod in facto reiicitur, etiam in dicto non est recipiendum. quod si et stadium contendas in Scripturis nominari, sane obtinebis. sed quae in stadio geruntur, indigna conspectui ¹⁴⁷ tuo non negabis, pugnos et calces et colaphes et omnem petulantiam manus, et quamcumque humani oris ¹⁴⁸, id est, diuinae imaginis depugnationem. non probatis usquam uanos cursus iaculatus et saltus uaniores, nusquam tibi uires aut iniuriosae aut uanae placebunt, sed nec cura factitii corporis, ut plasticam Dei supergressa. et propter ¹⁴⁹ otium Graeciae atiles homines oderis. et palaestrica diaboli negotium est. primos homines diabolus elisit (Gen. iii). ipse gestus oolubrina uis, est tenax ad occupandum, tortuosa ad obligandum, liquida ad elabandum. nullus tibi coronarum usus esi, quid de coronis uoluptates aucuparis?

2.19 Caput XIX

Exspectabimus nunc ¹⁵⁰ et amphitheatri repudium de Scripturis ¹⁵¹ (Gen. ix, Exod. xx, Matth. vi). si saeuitiam, si impietatem, si feritatem permissam nobis contendere possumus, eamus in amphitheatrum. si tales sumus, quales dicimus, delectemur sanguine humano. bonum est cum puniuntur nocentes. quis hoc nisi nocens negabit? et tamen innocens de supplicio alterius laetari non potest, cum magis competat innocenti dolere, quod homo par eius tam docens factus est, ut tam crudeliter impendatur. quis autem mihi sponsor est, nocentes semper uel ad bestias uel ad quodcunque supplicium decerni, ut non innocentia ¹⁵² quoque inferatur, aut ultione iudicantis aut infirmitate defendentis, aut instantia quaestionis? quam melius ergo est nescire cum mali puniuntur, ne sciam et quum boni pereunt, si tamen bonum sapiunt. certe quidem gladiatores innocentes in ludum ueniunt, ut publicae uoluptatis hostiae fiant. etiam qui damnantur in ludum,

quale est ut de leuiore delicto in homicidas emendatione proficiant. Sed haec ethnicis respondi. caeterum absit ut de istius spectaculi auersione diutius discat Christiaus: quanquam nemo haec omnia plenius exprimere potest, nisi qui adhuc spectat malo non implere, quam meminisse.

2.20 Caput XX

Quam uana igitur, imo desperata argumentatio eorum, qui sine dubio tergiuersationem ¹⁵³ admittendae uoluptatis ¹⁵⁴ obtundunt, nullam eius abstinentiae mentionem specialiter ¹⁵⁵ in Scripturis determinari, quae directo prohibeat, eiusmodi conuentibus interesse seruum Dei. nouam proxime defensionem suauiludii cuiusdam audiui. sol (inquit), imo etiam ipse Deus de coelo spectat, nec contaminatur. plane sol et in cloacam radios suos defert ¹⁵⁶, nec inquinatur. utinam autem Deus nulla flagitia hominum spectaret, ut omnes iudicium euaderemus. sed spectat et latrocinia, spectat et falsa, et adulteria, et fraudes, et idololatrias, et spectacula ipsa. idcirco ergo nos non spectabimus, ne uideamur ab illo qui omnia spectat. comparas ¹⁵⁷ homo, reum et iudicem; reum, qui quia uidetur, reus est: iudicem, qui quia uidet, iudex est. numquid ergo et extra limites circi furori studemus, et extra cardines theatri impudicitiae intendimus, et insolentiae extra stadium, et immisericordiae extra amphitheatrum, quod deus etiam extra cameras, et gradus, et apulias ¹⁵⁸ oculos habet. erramus, nusquam et nunquam excusatur quod Deus damnat. nusquam et nunquam licet, quod semper et ubique non licet. haec est ueritatis integritas, et quae ei debetur disciplinae plenitudo et aequalitas timoris, et fides obsequii, non immutare sententiam, nec uariare iudicium. non potest aliud esse, quod uere quidem est bonum seu malum. omnia autem penes ueritatem Dei fixa sunt.

2.21 Caput XXI

Ethnici, quos penes nulla est ueritatis plenitudo, quia nec doctor ueritatis Deus, malum ac bonum pro arbitrio ac libidine interpretantur, alibi bonum quod alibi malum, et alibi malum quod alibi bonum. sic ergo euenit, ut qui in publico uix necessitate uesicae tunicam leuet, idem in circo aliter non exsultet ¹⁵⁹, nisi totum pudorem in faciem omnium intentet; et qui ¹⁶⁰ filiae uirginis ab omni spurco uerbo aures tuetur, ipse eam in theatrum ad illas uoces gesticulationesque deducat; et qui in plateis litem manu agentem aut compescit, aut detestatur, idem in stadio grauioribus pugnis suffragium ferat; et qui ad cadauer hominis communi lego defuncti exhorret, idem in amphitheatro derosa et dissipata, et iusuo sanguine squalentia corpora patientissimis oculis desuper incumbat. imo qui propter homicidae poenam probandam ad spectaculum ueniat, idem gladiatorem ad homicidium flagellis et uirgis compellat inuitum; et qui insigniori cuique homicidae leonem poscit, idem gladiatori atroci petat rudem, et pileum praemium conferat: illum uero ¹⁶¹ confectum etiam oris ¹⁶² spectaculo repetat, libentius recognoscens de proximo, quem uoluit ¹⁶³ occidere de longinquo, tanto durior si noluit ¹⁶⁴.

2.22 Caput XXII

Quid mirum de ¹⁶⁵ inaequata ista hominum miscentium et commutantium statum boni et mali per inconstantiam sensus et iudicii uarietate ¹⁶⁶? etenim ipsi actores ¹⁶⁷ et administratores spectaculorum, quadrigarios, scenicos, xysticos, arenarios illas amentissimos ¹⁶⁸ quibus uiri ¹⁶⁹ animas, feminae, aut illi etiam, corpora sua substernunt, propter quos in ea committunt quae reprehendunt, ex eadem arte ¹⁷⁰, quam ¹⁷¹ magnificiunt, deponunt ¹⁷², imo manifeste damnant ignominia et capitis minutione, arcentes curia, rostris, senatu, equite, caeterisque honoribus omnibus simul ac ornamentis quibusdam. quanta peruersitas? amant quos mulcant, depretiant quos probant. artem magnificant, artificem notant. quale iudicium est, ut ob ea quis offuscetur, per quae promeretur? imo quanta confessio est malae rei, cuius auctores ¹⁷³, cum acceptissimi sint, sine nota non sunt!

2.23 Caput XXIII

Cum igitur humana recordatio, etiam obstrepente gratia uoluptatis, damnandos eos censeat, ademptis bonis dignitatum in quemdam scopulum farrositatis, quanto magis diuina iustitia in eius modi artifices animaduertit? an Deo placebit auriga ille tot animarum inquietator, tot furiarum minister, tot statuum, ut ¹⁷⁴ sacerdos coronatus, uel coloratus ut leno, quem curru rapiendum diabolus aduersus Heliam exornauit?

Placebit et ille ¹⁷⁵, qui uultus suos nouacula mutat? infidelis erga faciem suam, quam non contentus Saturno et Isidi et Libero proximam facere, insuper contumeliis alaparum sic obiicit, quasi de praecepto Domini ludat? docet scilicet et diabolus uerberandam maxillam patienter offerre (Matth. vi). sic et tragoedos cothurnis extulit, quia nemo potest adiicere cubitum unum ad staturam suam (Luc. xii): mendacem facere uult Christum. iam uero ipsum opus personarum, quaeero an Deo placeat, qui omnem similitudinem uetat fieri, quanto magis imaginis suae. non amat falsum auctor ueritatis (Exod. xx): adulterium est apud illum omne quod fingitur. proinde uocem, sexus, aetates mentientem, amores, iras, gemitus, lacrymas adseuerantem non probabit, qui omnem hypocrisin damnat. caeterum cum in lege praescribit, maledictum esse qui muliebribus uestietur (Deut. xxii), quid de pantomino iudicabit, qui etiam muliebribus curatur ¹⁷⁶? sane et ille artifex pugnorum impunitus ibit? tales enim cicatrices caestuum, et callos pugnorum, et aurium ¹⁷⁷ fungos a Deo cum suo plasmate ¹⁷⁸ accepit. ideo illi ¹⁷⁹ oculos Deus plasmauit, ut uapulando deficiant. taceo de illo, qui hominem leoni prae se opponit, ne parum sit homicida, qui ¹⁸⁰ eundem postmodum iugulat.

2.24 Caput XXIV

Quot adhuc modis perorabimus, nihil ex his quae spectaculis deputantur, placitum Deo esse aut congruens Dei seruis ¹⁸¹, quod Domino placitum non sit, si omnia propter diabolum instituta et ex diaboli rebus instructa monstrauiamus: nihil enim non diaboli est, quidquid Dei non est, uel Deo displicet: hoc erit pompa diaboli, aduersus quam in signaculo fidei eieramus. quod autem eieramus, neque facto, neque dicto, neque uisu, neque prospectu participare debemus. caeterum nonne eieramus et rescindimus signaculum, rescindendo testationem eius? numquid ergo superest ut ab ipsis ethnicis responsum flagitemus? illi iam nobis renuntient, an liceat christianis spectaculo uti. atquin hinc maxime intelligunt factum Christianum, de repudio spectaculorum. itaque negat manifeste, qui per quod agnoscitur tollit. quid autem spei superest in huiusmodi homine? Nemo in castra hostium transit, nisi proiectis armis suis, nisi destitutis, signis et sacramentis principis sui, nisi pactus simul perire.

2.25 Caput XXV

An ille recogitabit eo tempore de Deo, positus illic ubi nihil est de Deo? pacem, opinor, habebit inanimus contendens pro auriga: pudicitiam ediscet, attonitus in mimos. imo in omni spectaculo nullum magis scandalum occurret, quam ipse ille mulierum et uirorum accuratior cultus: ipsa consensio, ipsa in fauoribus aut conspiratio aut dissensio inter se de commercio scintillas libidinum conflagellant. nemo denique in spectaculo ineundo prius cogitat, nisi uideri et uidere. sed tragaedo uociferante, exclamationes ille alicuius prophetae retractabit, et inter effeminati histrionis modos psalmum secum comminiscetur, et cum athletae agent, ille dicturus est reperiendum non esse (Matth. v)? poterit et de misericordia moneri defixus in morsus ursorum et spongas retiariorum? auertat Deus a suis tantam uoluptatis exitiosae cupiditatem. quale est enim de Ecclesia Dei in diaboli Ecclesiam tendere? de coelo (quod aiunt) in coenum? illas manus quas ad Dominum extuleris postmodum laudando histrionem fatigare? ex ore quo amen in Sanctum protuleris, gladiatori testonium reddero, εἰς αἰῶνας ἀπ' αἰῶνος ¹⁸² alli omnino dicere nisi Deo Christo?

2.26 Caput XXVI

Cur ergo non eiusmodi etiam daemoniis penetrabiles fiant? nam et exemplum accidit, Domino teste eius mulieris quae theatrum adiit, et inde cum daemonio rediit. itaque in exorcismo cum oneraretur immundus spiritus, quod ausus esset fidelem aggredi: constanter et iustissime quidem (inquit) feci, in meo eam inueni. constat et alii linteum in somnis ostensum eius diei nocte, qua tragoedum audierat, cum exprobratione nominato tragoedo, nec ultra quintum diem eam mulierem in saeculo fuisse. quot utique et alia documenta cesserunt de his qui cum diabolo apud spectacula communicando a Domino exciderunt. **nemo enim potest duobus dominis seruire** (Matth. vi; II Cor. vii; Eccli. xxxiii). Quid luci cura tenebris? quid uitae et morti?

2.27 Caput XXVII

Odisse debemus sito conuentus et coetus ethnicorum, uel quod illic nomen Dei blasphematur, illic quotidiani in nos leones expostulantur, inde persecutiones decernuntur, inde tentationes emittuntur. quid facies in illo suffragiorum impiorum aestuario deprehensus, non quasi aliquid illic pati possis ab hominibus, nemo te cognoscit Christianum, sed recogita quid de te fiat in coelo. dubitas enim illo nomento, quo in diaboli Ecclesia fueris ¹⁸³, omnes angelos prospicere de coelo, et singulos denotare, quis blasphemiam dixerit, quis audierit, quis lingum, quis aures diabolo aduersus Deum administrauerit? (Psal. i). non ergo fugies sedilia hostium Christi, illam cathedram pestilentiarum ¹⁸⁴, ipsumque aerem, qui desuper incubat, scelestis uocibus constupratum? Sint dulcia licet et grata et simplicia, etiam honesta quaedam. nemo uenenum temperat felle et elleboro, sed conditis pulmentis et bene saporatis, et plurimum dulcibus id mali iniicit: ita et diabolus lethale quod conficit, rebus Dei gratissimis et acceptissimis imbut. omnia illic seu fortia, seu honesta, seu sonora, seu canora, seu subtilia, proinde habe ac si stillicidia mellis de ranunculo ¹⁸⁵ uenenato: nec tanti gulam facias uoluptatis, quanti periculum per suauitatem.

2.28 Caput XXVIII

Saginentur eiusmodi dulcibus conuiuia sui, et loca et tempora et inuitator ipsorum est. nostrae coena, nostrae nuptiae nondum sunt, non possumus cum illis discumbere, quia nec illi nobiscum. vicibus disposita res est. nunc illi laetantur, nos conflictamur (Joan. xui); **Saeculum** (inquit) **gaudebit, uos trites eritis**. lugeamus ergo dum ethnici gaudent, ut quum lugere coeperint, gaudeamus, ne pariter nunc gaudentes, tunc quoque pariter lugeamus. delicatus es, Christiane, si et in saeculo uoluptatem concupiscis, imo nimium stultus, si hoc existimas uoluptatem. philosophi quidam ¹⁸⁶ hoc nomen quieti et tranquillitati dederunt, in ea gaudent, in ea auocantur, in ea etiam gloriantur. tu mihi metas et scenas et puluerem et arenas suspiras. dicas uelim; non possumus uiuere sine uoluptate, qui mori cum uoluptate debemus? nam quod est aliud uotum nostrum, quam quod et Apostoli, exire de saeculo, et recipi apud Dominum (Philipp. i)? hic uoluptas, ubi et uotum.

2.29 Caput XXIX

Iam nunc si putas ¹⁸⁷ delectamentis exigere spatium hoc, cur tam ingratus es, ut tot et tales uoluptates a Deo contributas tibi satis non habeas, neque recognoscas? quid enim iucundius, quam Dei patris et domini reconciliato, quam ueritatis reuelatio, quam errorum recognitio, quam tantorum retro criminum uenia? quae maior uoluptas, quam fastidium ipsius uoluptatis, quam saeculi totius contemptus, quam uera libertas, quam conscientia integra, quam uita sufficiens, quam mortis timor nullus; quod calcas deos nationum, quod daemonia expellis, quod medicinas facis, quod reuelationes petis, quod Deo uiuis? hae uoluptates, haec spectacula Christianorum, sancta, perpetua, gratuita: in his tibi ludos Circenses interpretare, cursus saeculi intueri, tempora labentia, spatia dinumera, metas consummationis exspecta, societates Ecclesiarum defende, ad signum Dei suscitare, ad tubam angeli erigere, ad martyrii ¹⁸⁸ palmas gloriare. si scenicae ¹⁸⁹ doctrinae delectant, satis nobis litterarum est, satis uersum est, satis sententiarum, satis etiam canticorum, satis uocum; nec fabulae, sed ueritates; nec strophae, sed simplicitates. vis et pugillatus et luctatus? praesto sunt, non parua, sed multa ¹⁹⁰. adspice impudicitiam delectam a castitate, perfidiam caesam a fide, saeuitiam a misericordia contusam, petulantiam a modestia obumbratam ¹⁹¹, et tales sunt apud nos agones, in quibus ipsi coronamur. vis autem et sanguinis et aliquid? habes Christi.

2.30 Caput XXX

Quale autem spectaculum in proximo est aduentus Domini iam indubitati, iam superbi, iam triumphantis! quae illa exultatio angelorum, quae gloria resurgentium sanctorum! quale regnum exinde iustorum! qualis ciuitas noua Ierusalem! at enim supersunt alia spectacula, ille ultimus et perpetuus iudicii dies, ille nationibus insperatus, ille derisus, cum tanta saeculi uetustas, et tot eius natiuitates uno igni haurientur. quae tunc spectacula latitudo! quid admirer? quid rideam? ubi gaudeam, ubi exsultem, spectans totae tantos reges ¹⁹² qui in coelum recepti nuntiabuntur, cum ipso Ioue et ipsis suis testibus in imis tenebris congemiscentes?

item praesides, persecutores dominici nominis, saeuioribus, quam ipsi contra Christianos saeuierunt, flammis insultantibus, liquescentes? praeterea sapientes illos philosophos coram discipulis suis una conflagrantibus erubescences, quibus nihil ad Deum pertinere suadebant, quibus animas aut nullas, aut non in pristina corpora redituras affirmabant, etiam poetas non ad Rhadamanti, nec ad Minois, sed ad inopinati Christi tribunal palpitantes? tunc magis tragoedi audiendi, magis scilicet uocales in sua propria calamitate. tunc histriones cognoscendi solutiores multo per ignem: tunc spectandus auriga in flammea rota totus rubens ¹⁹³: tunc xystici contemplandi non in gymnasiis, sed in igne iaculati, nisi quod nec tunc quidem illos uelim uisos, ut qui malim ad eos potius conspectum insatiabilem conferre, qui in Dominum desaeuierunt. hic est ille (dicam) fabri aut quaestuariae filius ¹⁹⁴, Sabbati destructor, Samarites et daemonium habens. hic est quem a Iuda redemistis, hic est ille arundine et colaphis diuerberatus, sputamentis decoratus, felle et aceto potatus. hic est quem clam discentes subriperunt, ut resurrexisse dicatur, uel hortulanus detraxit, ne lactucae suae frequentia commentium laederentur ¹⁹⁵. ut talia spectes, ut talibus exsultes, quis tibi praetor aut consul, aut quaestor, aut sacerdos sua liberalitate praestabit? et tamen haec iam quodammodo habemus per fidem spiritu imaginante repraesentata. caeterum qualia illa eunt quae nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt? credo, circo et utraquo cauea et omni stadio gratiora.

3. Notes for the Latin Text

3.1 Lexical notes

3.1.1 Caput I

1	status ratio ueritatis praescriptum disciplinae
2	
3	
4	
5	
6	

3.1.2 Caput II

1	
2	
3	
4	
5	
6	
7	
8	
9	
10	
11	
12	

3.1.3 Caput III

1	
2	
3	
4	
5	
6	
7	
8	

3.1.4 Caput IV

1	
2	
3	
4	

3.2 Grammatical Notes

3.3 Migne Comments

4. Translation

4.1 Caput I

1

4.2 Caput II

1

4.3 Caput III

4.4 Caput IV

5. Commentary

5.1 Caput I

5.2 Caput II

5.3 Caput III

5.4 Caput IV

5.5 Caput V

6. Critical Notes

6.1 Caput I

6.2 Caput II

6.3 Caput III

6.4 Caput IV

6.5 Caput V

7. Vocabulary

Words marked with an asterisk (*) are worth learning

[illegible]

Document Control

Document Version Control	
Document Classification:	Language Courses
Document Title	ἐροῦμεν – Latin Patristics Liber 5004
Author:	Steue Watkins
Reuiewer:	

Document History			
Issue Number	Date	Issued by	Change Description
0.1	29 Oct 2018	Steue Watkins	Initial Draft